

Th. Finckius.


Theses philosophicæ.

Hafn., 1594.











102.

THESES PHILOSOPHICAE

DE QVIBVS PRO SVPREma in Philosophia Laurea ad IIII. Maij. respondebunt honesti ac eruditi viri.

* * *

Dn. Iacobus Iacobæus Volsius Othoniensis.
Ludovicus Munthenius Lubecensis.
Petrus Ivarus Borrichius.
Nicolaus Alesius Scanus.
Christianus Iohannis Ripensis.
Iohannes Petræus Glamdorpius F.

Præside
THOMA FINCKIO
Decano.



HAFNIÆ
Excudebat Matthias Vinitor
1594.

I.



Rectilineum Circulo inscriptum definit Euclides cum singulos illius ãgulos peripheria excipit: Circumscriptum cum singula latera peripheriam tangunt.

II.

Itaq; cautè accipiendum illud, quod est ad 15. p. 4. additum: omnem figuram æquilateram Circulo inscriptam aut circumscriptam esse etiam necessario æquiangulam.

III.

Etenim æquilaterum circulo quidem inscriptum æquiangulum quoq; est: circumscriptum vero non omne.

IIII.

Vt enim verè rectæ quæ tangunt peripheriam in angulis inscripti rectilinei æquilateri, aut tangentes lateribus inscripti parallelæ circumscribunt rectilineum inscripto homogeneum, non tantum æquilaterum sed etiam æquiangulum.

V.

Ita absoluta circumscriptionis ratione circumscriptum æquilaterum illud demum est æquiangulum, quod aut numero laterum impar est, aut par quidem, sed angulis duobus æqualibus, quorum alter ab altero parem locum occupat.

6. Ac



VI.

Ac contra rectilineum æquiangulum circulo circumscriptum æquilaterum est: at non inscriptum omne æquiangulum protinus est æquilaterum.

VII.

Sed illud demum quod numero angulorum impar est aut par quidem sed duobus lateribus æqualibus, quorum alterum ab altero parem locum occupat.

VIII.

Periodi primi motus Cælestium corporum commata ac intercisa spacia inæqualia sunt ob situm Zodiaci ad Æquatorem, obliquum.

IX.

Hinc etsi 24. horarum periodum subeant omnia, supra Horizontem tamen ascendendo aut infra eundem descendendo moras inæquales faciunt: ita quidem vt arcus Zodiaci segmento Æquatoris modo minor sit modo æqualis modo maior: vnde ille aut rectè aut æquè aut obliquè ascendere & descendere dicetur.

X.

Ac cum ea sit ascensionum & descensionum conuenientia, vt ascensio cuiusq; æqualis sit descensioni partis oppositæ: facilè perspecta ascensionum anomalia de descensionibus iudicari poterit.

XI.

In Sphæra recta quadrantes à Cardinalibus punctis incohati, quadrantibus Æquatoris cooriuntur æqualiter: aliunde autem incohati non quadrantes tantùm sed quivis arcus, semicirculo inæquales, inæqualiter.

XII.

Ita quidem vt ab æquinoctialibus punctis arcus continuati ad solstitialia, obliquè, à solstitialibus vero ad æquinoctialia, rectè oriantur.

XIII.

Arcus quaterni æquales æquè ab vno & eodem punctorum Cardinalium coluro distantes, ascensiones æquales habent.

XIIII.

Inæqualiter autem distantium æquinoctijs propiores obliquius ascendunt, Solstitijs viciniores, rectius.

XV.

Neq; enim absolutè accipiendum est vulgare illud quatuor signa in Sphæra recta rectè oriri, ea quæ sunt vicina vtrinq; solstitialibus punctis, & reliqua octo obliquè.

XVI.

Si enim ea attendamus quæ sunt apud Cabasillam & Regiomontanum ad 3. librum magni operis Ptolemæi, accedente triangulorum calculo deprehendemus gr. 175. scr. 4. oriri rectè: at reliquam Zodiaci partem obliquè.

17. Neq;

XVII.

Neq; est hic certior calculus negligendus cum ob alias caussas, tum ob eam quæ ll. cc in æquationibus dierum attingitur.

XVIII.

Interim non malè quatùor signa vicina æquinoctialibus vtriq; minimas, quatuor illis vicina, mediocres, quatuor vero solstitialibus contigua, maximas sortiri ascensiones dicemus.

XIX.

In Sphæra obliqua arcus continuati à principio ♈ ad finem ♍ magis obliquè ascendunt quam in Sphæra recta, at à principio ♎ in finem ♓ magis rectè.

XX.

Et arcus æquales quo fuerint æquinoctio vernò propiores, eò magis obliquè ascendunt quam in recta, quo autumnali vicinores, eò rectius.

XXI.

Atq; ita comparatè accipiendi sunt versus illi:

Recta meant, obliqua cadunt à sidere Cancri
Donec finitur Chiron: sed Cetera signa
Nascuntur prono, descendunt tramite recto.

XXII.

Absolutè enim principium partium Zodiaci rectè aſcendentium eſt ante ſolſtitium æſtivum, finis autem poſt hibernum. Ac ſunt quædam Sphæræ inclinationes in quibus ſigna quædam deſcendentis ſemicirculi obliquè oriuntur: alia vero aſcendentis, rectè.

XXIII.

Natura eſt principium & cauſſa motus ac quietis eius in quo ineſt, primo, per ſe & non ex accidenti.

XXIIII.

In qualitatum ordine diverſa conſideratione modo has modo illas primas dici abſurdum non eſt.

XXV.

Ex pluribus tamen tangibilium oppoſitionibus communiter duæ hæ Caloris ac frigoris activarum, humiditatis ac ſiccitatis paſſiuarum hoc titulo retentæ ſunt.

XXVI.

Sed forſan non ſine ratione vt reliquas tangibilium oppoſitiones ita hanc paſſiuarum, prior illa actiuarum ſub ſe continere dicitur.

XXVII.

Secundas vocatas & reliquas deinceps ex primis profluere rectè accipiendum eſt: ſi quidem plerunq; priore etiam nitantur principio. Vnde, ſiue iam conditiones

ſunt

ſunt primarum ſiue illis adiunctæ aut ipſas inſequentes, vires poßidere maioris momenti & alterius ordinis Hippocrates monuit.

XXVIII.

Virtutem moralem Ariſt: definit habitum proæreticum poſitum in mediocritate ad nos comparata & recta prudentiæ ratione definita.

XXIX.

Interpretes de mente Philoſophi aliunde collecta addunt, habitum appetitionis ſenſuum, comparatum conſuetudine vt felicitate fruamur.

XXX.

Ita nimirum iucunda omnium animæ partium in virtute conſenſio obſeruatur: vt mens tanquam dux & verum iudicet & velit optimum, conſultet, mediaq; commoda inveniat ac aurigæ inſtar appetitum dirigat: appetitus interim conformatus habitu ac confirmatus rectæ rationi cum voluptate obediat.

XXXI.

Etſi autem ratione principij virtus moralis vnica exſiſtat: Varijs tamen modis illius tributio inſtituta eſt.

XXXII.

Deſtinctionis fontes ab alijs alij reſerati: peripateticè tamen videntur aliæ ad appetitum concupiſcendi, aliæ ad iraſcendi appetitum referri poße: adq; ea duo genera vndecim ab Ariſtotele enumeratæ reduci.

FINIS.